



**Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romæ, 1863**

Prætermissi Vel In Alios Dies Rejecti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](#)

## VII JANUARII.

## SANCTI QUI VII ID. JAN. COLUNTUR.

- Relatio pueri JESU ex Aegypto.  
 S. Julianus Martyr.  
 S. Spolicostus  
 S. Palladas } Martyres, in Graecia.  
 S. Candida  
 S. Crispinus I, Episcopus Ticinensis, in Italia.  
 S. Felix  
 S. Januarius } Martyres, Heracleæ.  
 S. Polyanthus  
 S. Philo } Martyres.  
 S. Candida  
 S. Julianus, Martyr, apud Andegavos in Gallia.  
 S. Senator, Episcopus Veronensis, in Italia.  
 S. Lucianus, Presbyter Antiochenus, Martyr.  
 S. Clerus, Diaconus Martyr, Antiochiae.  
 S. Theodorus, monachus in Aegypto.  
 S. Nicetas, Episcopus in Dacia.  
 S. Valentinus, Episcopus Passaviensis, in Germania.  
 S. Crispinus III, Episcopus Ticinensis, in Italia.  
 S. Valentinus II, Episcopus Interamnensis, in Italia.  
 S. Cedda, sive Ceddus, Episcopus Londinis, in Anglia.  
 S. Tillo, sive Hillonus, cognomento Paulus, Solemniaci, in Gallia.  
 B. Wittekindus, Dux Saxonum, Angariae, in Westphalia.  
 S. Reinoldus, monachus Martyr, Tremoniae, in Westphalia.  
 S. Aldricus, Episcopus Cenomanensis, in Gallia.  
 S. Anastasius, Episcopus Senonensis, in Gallia.  
 B. Vitalis, Abbas Saviniacensis, in Gallia.  
 S. Canutus, Dux Sleswicensis, in Dania.  
 B. Albertus, Eremita in Etruria.  
 S. Raymundus de Pennaforti III Generalis Ord. Praedicator.  
 S. Benjamini } Martyrum Inventio, Brixiae,  
 S. Maximi } in Italia.  
 Venerabilis Ludovicus Blosius, Abbas Lætiensis, in Belgio.

## PRÆTERMISSI VEL IN ALIOS DIES REJECTI.

- not. 108.
- Tres Reges Magi. *Galesin in Notis. De his nos 1, vi, xi Januarii et de eorum translatione* xxiii Julii.  
 S. Isidorus Episcopus. *Maurolyc. ms. Florarium, Galesinius: hic Martym facit, et Nicomedie passum, veteris ms. fide. Idem est fortassis, qui Antiochiae coli dicitur, de quo* ii Janua. *Martyres, in Africa. Galesinius, ex per veteri Kalendario Ordinis monachorum Vallis Umbrosæ. Celebratur in Martyrol. Romano xiii Junii. Lucianus in Africa passus cum Fortunato, non Timotheo.*  
 Melania senior. *Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuardum, et ms. Florar. At Ferrar. xxi Januarii. Nobilissima et religiosissima hæc matronam magnam sue virtuti labem aspersit, dum in Origenis errores visa est descivisse, Ruffino doctore; a quibus tamen sub extremis vix annos eam resiliisse existimamus. Sed an ut Sancta uspiam colatur, haud comperimus. Multa de ea extant in vitis Patrum.*  
 S. Victorinus Abbas, qui scripsit Calculum. *Ita ms. Kalendarium Sanctorum Ordinis S. Benedicti. Verum Calculi auctorem puto eundem esse Victorium, sive Victorinum, aut Victorem Aquitanum, cuius Cyclum Paschalem nuper vulgarit Aegidius Bucherius Noster, qui neque Sanctus alibi appellatur, neque potuit esse Ordinis S. Benedicti, quippe multo S. Benedicto antiquior. Exstat Calculus hic ms. in Bibliotheca Lobensi.*  
 S. Kentigerna vidua, refertur a Davide Camerario, et Ferrario. *Certius quid fortassis altiunde consequemur.*  
 S. Sabini Translatio. *Maurolyc. Plures sunt SS. Sabini. Quis hoc die translatus sit, nusquam reperi.*  
 B. Matthæus Ord. S. Francisci Episcopus Agrigentinus in Sicilia, commemoratur ab Octanio Cajetano Nostro in Idea Sanctorum Siciliae, et Philippo Ferrario in generali catal. SS. At Lucas Waddingus tom. 2 Annal. Minor. ad an. 1300, num. 13 ejus obitum narrans, non indicat eum publico aliquo cultu celebrari. Ideo eum hic omitto.
- not. 109.
- Mariæ Raggiæ illustris vita extat typis vulgata Barcinone anno MDCVI auctore Michaeli Llot a Ribera Ord. Praedicator. aliaque auctore Joanne Petro a Cxsara augusta ejusdem Ordinis, Latine redita ab Arnoldo Raissio Duacensi. Sed quod nesciam an sancte Sedis auctoritate colatur, multaque in ea commemorentur miracula, malui eam hic omittere, quam nuperum S. P. N. Urbani VIII, decretum videri vel leviter transgressus.
- S. Julianus Diaconus refertur hoc die a Ferrario in Catalogo generali, et SS. Italiæ, ex tabulis Ecclesiæ Novariensis. Ejus ac Julii fratris vitam dabimus xxxi Januar.
- S. Polyeuctus Melitinae. *Martyrol. ms. S. Hieronymi, et ms. Rhinowense. Eumdem esse arbitror, de quo infra* xiii Februar.
- S. Valentinus Episcopus Tungrensis. *ms. Florar. in quo iterum ix Julii commemoratur. Nos de eo agemus* vii Junii.
- B. Elizabetha de Wans, virgo vidua, monialis Aquriensis in Belgio, refertur hoc die in Kalendario Cisterciens Divonian. MDCXVII edito; ab Arnoldo Raissio ix Octob. a Chrysostomo Henriquez, quem sequemur, in Menologio Cisterciensi 1 Julii.
- S. Canutus Rex Daniæ et Martyr refertur hoc die in Martyrol. Romano; at colitur, quo et vitam ejus dabimus x Julii.
- S. Hathiebrandi Abbatis Antiqui-monasterii in ditione Groeningensi, hoc die translate sunt Antwerpian reliquias anno MDCCX meminit Chrysostomus Henriquez in Menol. Cisterc. et Andreas Saussayus in Martyrol. Gallicano. De eo agenus xxx Julii.
- S. Joannis Baptiste dextera hoc die a Jabo Diacono Antiochia allata Constantinopolim, tempore Constantini et Romani Imperatorum: fitque ejusdem sanctissimi Precursoris hac die commemoratio, ut ex Gravorum Menœ patet, et Notatione Pet. Galesinii ad Martyrol. De ea translatione agemus xxix Augusti.
- S. Fausta Virgo et Martyr cum Ewilasio. *Hraban. Notker.*

*Notker. ms. S. Maximini, Carthus. Colon. in Addit. ad Usuard. Nos cum Martyrol. Romano xx Septemb. Amadeus ex Abbatie Altae-cumbæ Episcopus Lausa-nensis, hoc die referunt et Beatus appellatur a Chry-*

*sostomo Henrig. in Menologio Cisterc. De eo agemus xxvii Sept. Melania junior. Martyrol. Germanic. Nos xxxi De-cembbris. EX VARIS. NOT. 140.*

## RELATIO PUERI JESU.

VII JANUARII.

**C**elebratur in Martyrologiis, Romano, Beda, Usuardi, Adonis, Wandelberti, Notkeri, Maurolyci, veteri Romano, Germanico, ms. Florario, vn Idus Januarii, Pueri Jesu relatio, sive eductio ex Aegypto. De qua consuli possunt sacrae Scripturæ Interpretes. Quo anno acciderit, alibi fortassis di-

*sputabimus. Altii xi Januarii hanc relationem referunt. Quo die Notkerus: Eductio Domini de Aegypto, quæ secundum alias vii Id. Januarii, secundum quosdam Nonis Januarii, propter multorum dierum profectio-nem, celebratur. Consentit Rabanus, et alii.*

## DE S. JULIANO MARTYRE.

VII JANUARII.

**C**elebratur vii Januarii in variis Martyrologiis, nominatim Romano, Bellini, Maurolyci, Gale-sinii, Molani Addit. ad Usuard, etc. S. Julianus Martyr. Locus tempusque martyrii non proditur.

NOT. 111.  
L. Magnus Ju-lianus Toleti  
Martyr.

2 In Chronico quod sub Fl. Dextri nomine editum est, ad an. xc, ista habentur num. 7. S. Julianus, civis Toletani, Toleti patitur vu die Januarii. Fuit Episcopus. At quæ ita commentator Franc. Bivarius: Ignorabatur hactenus quis ille Julianus fuisset, latuitque Baronium: sed nunc Dextri Chronico mani-festa multa fiunt, quæ sine eo ignorabantur. Ad an-num vero lxxxvi, nu. 6, idem Chronicus: S. Julianus discipulus S. Petri, Martiali carus, Vicum transfer-tur. Interpretatur huc Bivarius, eo anno, Domitianus Casaris jussu, Roma relegatum in Hispaniam. Et fuere quidem loca nonnulla apud Hispanos, quibus Vici nomen impositum. Addit Bivarius, ante S. Eugenium (de quo xv Novemb. agemus) civibus suis Toletanis Evangelium prædicasse, fuisseque Toleti et totius Carpetanæ Episcopum vocatum. Ut probet Martialis carum fuisse, aliquot recitat epigrammata ad L. Julium scripta; quæ (ut fatear quod sentio) levius est conjectura. Sane Eugenius fuisse primum Toletanorum Apostolum, Franciscus Pisa in Toleti descriptione, aliisque tradidere Aut-tores. Iterum de Juliano. Dextri Chronicorum ad anno xciv, num. 4. L. Magnus Julianus civis Toletanus et Martyr, in pretio habetur. Quod de habitis ei post mortem honoribus, patratisque miraculis Bivarius accipit. Sed huc Toletanis accuratius discutienda relinquimus.

S. Julianus  
Martyr Ca-tari.

3 Seraphinus Esquirrus Sanctuarii Calavitanæ part. A, lib. 2, cap. 26, testatur an. MDCCXV, XXII Julii, reportas esse Calari in Sardinia S. Juliani Martyris reliquias; ossa nimurum totius corporis, aptæ composita, singula suis locis, ac velut connecta, eaque grandia, capit integrum, tribus sauciis plagiis, occipite adhuc sanguinolento: in eodem tumulo lapidem juxta caput conditum, sanguine oblitum; unde conjici posset, lapidibus fuisse interemptum. Gemina prius inventa erat epigraphe, quæ S. Juliani hac esse pignora testaretur; prior litteris nonnullis vel humore corruptis, vel ipsa refossione con-vulsis, ita habeant:

IC IACET B. M. IVLIANVS  
VI BIXIT ANNIS  
NVS XC. REQVIEVIT  
VIRGINIS PARTV

Eam epigraphen ita Seraphinus exponit: Hic jacet beatus Martyr Julianus, qui vixit annis plus minus xc, requievit in pace anno a Virginis partu.....

Altero inscriptio sic habet :

¶ B. M. IVLIANVS QVI VIXIT ANNIS PLVS  
MINVS C. REQVIEBIT IN PACE SVB D X KAL  
MARX

Discrimen etatis ex omissa littera X ante C fortassis ortum.

4 Etsi vero xx Februarii occisus dicatur, coli tamen vii Januarii tradit Seraphinus, maxima celebri-tate, ingenti hominum ad ejus ecclesiam tribus milliari-bus Calari distante concursu. Addit genere ac dignitate illustrem fuisse, pinguisque equestri forma solere, et pas-sim a Sardis appellari SANCTU JULIANU CONTI, quasi Comes fuerit. Eodem spectat, quod in ejus sepulchro repertus est medius annulus aureus, ac filamenta quoque aurea.

5 Philippus Ferrarius II Januarii hunc referit his verbis: Carali in Sardinia S. Juliani Comitis et Martyris; traditique in Notis, magnam in tota insula vene-rationem habere, ejusque nomini complures dicatas esse ecclesias; sed tempus martyrii ignorari. Cur vero qui xx Februarii martyrio coronatus dicitur, colatur a Sar-dis vii Januarii, nos latet. Franciscus de Esquivel Ar-chiepiscopus Calaritanus in Relatione inventarum reli-quiarum ad Paulum V missa, eadem tradiit de S. Juliani veneratione, sacrisque illi ecclesiis; atque in vicis circum Calarim dum sub Missaz initium Confiteor recita-tur, plerosque addere solvere, etiam ante hanc inventio-nem, et S. Juliano Comiti.

6 Fateor hæc aliquanto probabiliora videri iis, quæ in Dextri Chronico dicuntur. Si tamen fuit ille Toleti Julianus, nihil ejus derogatum honori volumus. Quare iterum de S. Juliano Calaritano xx Februarii agemus, præsertim si interea certiora consequamur monumenta.

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

### SPOLICOSTO, PALLADA, CANDIDA.

VII JANUARII.  
**C**elebrantur hi in perpetuosto ms. Martyrologio S. Hieronymi his verbis: Et in Graecia Spolicosti, Pallada,

Candidæ. Plures reperiuntur Candidæ, sed nulla his juncta comitibus.

DE